ligibilia que conspectui mentis
intelligi queunt. Cum igitur et decorum
conspectu et corporis et aliquid magis
minusque speciosum erat. Si autem
omnis species tollere posset omnino nulla es-
sent. Vidimus esse aliquid quo
illa speciosa facta sunt ut et ea
et incommutabilis species. Ideo incommutabile ~~incomparabile~~
et illud esse rerum principium rectissime
crediderunt quod factum non esset et ex
quo ~~facta~~ cuncta facta ~~non~~ essent.
Ecce tot modis potuit cognosci
veritas dei. Cum ergo deus sit una
et simplex essentia que ex nulla di-
versitate partium vel accidentium con-
sistit pluraliter tamen dicit apostolus invisi-
bilia dei quia pluribus modis cognoscitur
veritas dei per ea que facta sunt.
Ex perpetuitate namque creaturarum [intelligitur conditor eternus ex magnitudine creaturarum] omnipotens
ex ordine et dispositione sapiens
ex gubernatione bonus. Hec autem omnia
ad unitatem deitatis pertinere
monstrantur. **Quomodo in creaturis apparet vestigium trinitatis**

Nunc restat ostendere utrum
per ea que facta sunt
aliquod trinitatis indicium vel ~~vestigium~~ vestigium
haberi potuit. De hoc augustinus in vi
libro de trinitate ait. Oportet ut creatorem
per ea que facta sunt intellectum con-
spicientes trinitatem intelligamus
huius enim trinitatis vestigium
in creatura apparet. Hec enim que arte
divina facta [sunt] et unitatem quandam
in se ostendunt et speciem et ordinem.
Nam quodque horum creatorum et unum
aliquid est sicut sunt nature corporum et i-
ngenia animarum et aliqua specie formatur
sicut sunt figure vel qualitates corporum
ac doctrine vel artes animarum et aliquem
ordinem petit aut tenet sicut sunt
pondera vel collocationes corporum et
amores vel animarum delectationes
et ita in creaturis pluris vestigium

trinitatis. In illa enim trinitate sum-
ma origo omnium rerum est et perfec-
tissima pulchritudo (i. filius) et beatissima
delectatio (i. spiritus sanctus). Summa autem origo
ut augustinus ostendit in libro de vera
religione intelligitur deus pater
a quo sunt omnia a quo filius et spiritus sanctus.
Perfectissima pulchritudo intelligitur
filius scilicet veritas patris nulla ex
parte ei dissimilis quam cum ipso et in
ipso patre veneramur que forma
est omnium que ab uno facta sunt
et ad unum referuntur. Que tamen omnia
nec fierent a patre per filium nec suis
finibus salva essent nisi deus
summe bonus esset qui et nulli nature
que ab ipso bona esset invidit
et ut in bono ipso manerent alia
quantum ~~angelus qui credit~~ vellet
alia ~~quantum qui steterit~~ quantum po-
sset dedit. Que bonitas intelligitur spiritus sanctus
qui est donum patris et filii. Quare
ipsum donum dei cum patre et filio
eque incommutabile nos convenit
colere et tenere. Per considerationem
itaque creaturarum unius substantie trinitatem
intelligimus scilicet unum deum patrem
a quo sumus et filium per quem sumus
et spiritum sanctum in quo sumus scilicet ad
quem recurrimus principium (i. patrem) et formam (i. filium)
quam sequimur et gratiam (i. spiritus sanctus) qua reconcilia-
mur. Unum scilicet quo auctore
conditi sumus et similitudinem eius
per quam ad unitatem reformamur
et pacem qua unitati adheremus
scilicet deum qui dixit fiat et verbum
per quod factum est omne quod factum
est omne quod substantialiter et naturaliter
est et donum benignitatis eius qua
placuit quod ab eo per verbum factum
est omne quod substantialiter et naturaliter
est et donum benignitatis eius qua
placuit quod ab ea per verbum factum
et reconciliatum auctori ut non
interiret. Ecce ostensum est

quantum vellet alia
quantum posset dedit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_326/0019
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG